

## Primum physicorum.

Sed contra sequeretur quod fortes nunquam acquireret temperantiam supposito quod semper nutriatur ex ciuis specie distinctis quod actus circa pisces specie distinctos secundum istos non causant nec intendunt eundem habitum. ¶ Quod autem philosophia naturalis sit speculativa patet auctoritate philosophi supra posita. Non enim est de factibilibus a nobis. Cum sit de celo et elementis. ¶ Sed queritur quare habitus dicitur speculativus. Respondet doct. subtilis in proli. quod practicum et speculativum non sunt ordine essentialis scilicet vel noticie in cōi que est quoddam absolutum. Sed hec divisiō est quasi generis in proprias passiones specie rum sicut si dividatur numerus per parē et imparē. Secundo dicit quod esse habitum practicum vel extensio practice cognitionis ad praxim consistit in duplici relatione aptitudinali scilicet conformitatis et prioritatis naturalis. Vnde secundum eum omnis actus voluntatis rectus presupponit necessario rectam rationem dicit aptitudinali quod neutra relatio requiritur actualis unde cognitio practica dicitur extendi ad praxim ut directiva ad directum siue ut regulativa ad regulatum unde non oportet praxim actu conformari sed sufficit quod sit conformativa praxi. Speculativum autem privat predictum duplicem respectum. Exemplum ut ars edificativa dicitur practica quod per illam artem potest edificator facere domum que conformabitur sue arti. Et illa ars naturaliter prior est edificatione domus unde per eam artifex dirigitur in edificando. Et adverte secundum eum quod noticia practica semper deducitur ex principiis practiciis ut patet hic et in principio. ut secundi ut quod deus est diligendus deducitur ex hoc quod omne summe bonum est diligendum et quod deus est summe bonus ergo est summe diligendus. Sed contra. Minor illa non est practica quod non dicitur de eligendo. vel fugiendo forte dicitur quod non est practica formaliter sed virtualiter tantum sed hoc non sufficit quia tunc metaphisica esset practica quod ens virtualiter omnia continet immo omnis scientia est de re bona ergo virtualiter continet noticiam directivam operationis voluntatis similiter et primum principium. ¶ Contra primum arguitur Sequitur quod ratio practici esset dignior quam speculativi quod primum consistit in aliquo positivo secundum autem in privatione. Item habitus et privatio habent fieri circa idem ergo si speculativum non dicit nisi privationem duplicem respectus idem poterit esse speculativum et practicum. Item sequeretur quod privatio posset esse principium alicuius nobilitatis quia habitus speculativus sub ratione qua speculativus est principium speculationis per se. ¶ Videtur ergo dicendum cum philosopho. vi. methaph. quod scientia speculativa est illa cuius obiectum non est operabile sed cognoscibile tantum a nobis secundum quod consideratur in tali scientia vnde speculativa differt a practica quantum ad finem et quantum ad materiam sic quod finis speculative est consideratio veritatis materia vero res opere scientis non operabilis. Practice autem finis est operatio: materia vero seu obiectum est res ab eo qui habet huiusmodi scientiam operabilis. S. T. sup hoetium de tri. q. v. ar. i. Item ad huc arguitur contra alium quia practicum et speculativum secundum eum sumuntur ab obiecto ergo sunt differentie essentialis. Item dirigens est nobiliter directo ergo habitus practicus dirigens actum voluntatis non dicit precise duplicem respectum quod

respectus non est actius ergo aliud est in habitu unde dicitur actius vel practicus. ¶ Contra hec arguitur primo argumentis heraciti verum non scit nisi cognoscit res in quo reperitur sed res in quibus reperitur natura infinitas differentias habet intellectus autem refugit infinitum: naturalia ergo vere non comprehenduntur. Item medium debet esse univocum sed nichil est univocum in physicis quod niam si accipiatur diffinitio animalis secundum esse physicum ipsa secundum unum quodam animal erit altera.

¶ Secundo secundum aug. et allegatur a. S. T. i. q. lxxxiij. arti. vi. non est expectanda veritas a sensibus sed omnis nostra cognitio ortum habet a sensu ergo nichil vere cognoscimus. ¶ Item a. ex lactantio li. iij. c. ij. Cum tot temporibus tot ingenijs in inquisitione sapientie contritis non sit a philosophis comprehensa apparet nullam ibi esse sapientiam non ergo sapientie student qui philosophantur sed ipsi studere se putant quia illud quod querunt ubi aut quale sit nesciunt. Item plato et pythagoras maxime quesiverunt scientiam ut patet ex S. T. i. methaphisice lectione. x. et tamen istorum philosophia non fuit scientia sed plena erroribus. Si dicat quod alioquin philosophia est scientia quero quis hoc diiudicare poterit unde philosophus dicit. iij. methaphisicorum. T. c. xxi.

Cum videmus gravissimos philosophos errare in primo principio et non invenisse scientiam veram videtur quod frustra sit studere philosophic. Nam volentia proficere erit utique veritatem inquirere. Item philosophia est amor sapientie ergo non est scientia. ¶ Tertio si aliquae veritates essent evidentes vel hoc esset per sensum vel intellectum non per intellectum quia non sequitur evidenter intellectus intelligit aliam rem ab ipso ergo alia res ab ipso est intelligo enim a. i. x. p. m. et tamen ipse non est. Nec per ingenium quia hoc maxime foret per visum sed probo quod non quod sequitur visus est ind dispositus et medium est ind dispositum et obiectum non est indebita distantia igitur. visus non iudicat evidenter de suo obiecto contra est bona et ans est inevidens ergo et consequens. Item multoties eque fortiter quis iudicat se videre asinum quam non videt eum sicut quam realiter videt illum et non obstante tali iudicio ac firma adhesionem talis decipitur et non videt quod creditur videre igitur propter quodcumque iudicium forte vel firmam adhesionem non cognoscit quis evidenter ita esse sicut apparet. ¶ Quarto si aliquid esset evidens vel ergo omnia iunt equaliter evidencia et hoc non quia principia sunt evidentiora conclusionibus si non contra vel unum esset evidentiore alio quo ad veritatem vel quo ad adhesionem. Non primum quod una veritas non est magis veritas quam alia. Nec secundum quod maior adhesio non facit semper maiorem evidenciam potest enim quis firmissime adherere falsis. Si dicat quod ad evidenciam requiratur veritas ergo possemus dubitare an illud quod videtur sit nobis evidens quod possumus dubitare an sit verum. Item nunquam est nobis evidens an nostrum medium sit sophisticum vel falsum signatum aliquando enim putamus habere demonstrationem et tamen est sophisma.

¶ Item aliquis potest credere se non esse sed esse mortuum. ergo nulli est evidens quod ipse sit ergo nec aliquid aliud antecedens patet de somniantibus et graviter infirmis sed hic vide distinctionem S. T. de veri. q. x. ar. xij.